



*Q. D. B. V.*  
DISPUTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA,  
DE

# GENERATIONE,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,  
S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM: MO-  
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQVE  
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE,

AMPLISSIMÆ FCULTATIS MEDICÆ CONSENSU

SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII,  
PHILOS. ET MED. DOCT.

ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMI  
EJUSDEMQUE FACULT. ASSESS. ORDINAR. ET SUB-SENIORIS GRAVISSIMI,  
ACADEMIÆ IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM  
COLLEGÆ, P. L. C.

DOMINI PATRONI, PROMOTORIS AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI HONORIS  
CULTU ETERNUM PROSEQVENDI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA  
RITE CONSEQVENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GEORGIUS VOLCMARUS *Hartmann* / VINARIENSIS,  
PRACT. ERFFURT.

DIE VIII, FEBRUARII M DCC XVI.  
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HORIS CONSVETIS.

---

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

DEPUTATIO IN ACADEMIA PHISICO-MEDICA  
GENERALI

PHILIPPO WILHELMO  
DOMINO

DEO  
ET  
PUBLICO.

DR. JOHANNES PHILIPPUS TRESILLIUS

PHYSICUS ET MEDICUS  
AD ACADEMIAM PHISICO-MEDICAM  
GENERALI

PRO LECTURA  
SUMMOS IN ARTE MEDICA MONORES ET PRIVILEGIA

GEORGII VOLGASTRI  
VINARIENSIS

IN ACADEMIA PHISICO-MEDICA  
GENERALI

EREGIDIAE TIBI JOHANNIS PHILIPPI TRESILLII





## PROËMIUM.



Omne nihil dignius, nihil ei magis  
 conveniens, nihilque utilius est,  
 quam semet ipsum contemplari: Om-  
 nium enim creaturarum nobilissima  
 & centrum est atque compendium to-  
 tius universi, quia complectitur non  
 solum, quicquid mundus visibilis in  
 se continet, sed & entis immortalis &  
 perfectissimi in eo non obscurum exstat vestigium ac simu-  
 lacrum. Hinc proxima via est ad veram sapientiam con-  
 sequendam sui ipsius cognitio, etiam secundum Græci illius  
 Philosophi effatum. Nam dum mens pulcherrimam & arte  
 ficiosissime constructam corporis compagem, & tot motuum  
 ad ejus vitam ac conservationem perficiendam conspiranti-  
 um, admirabilem harmoniam atque concentum, nec non  
 sensuum, cogitationum & affectuum, veluti tot excubito-  
 rum & curatorum naturam inexplicabilem scrutatur, al-  
 tius assurgit, & origine ac fonte sui ipsius & bonitatis agni-  
 to, imbuitur intelligentia & virtutibus prestantissimis. Ve-  
 rum enim vero ea est hominum indoles, ut vel ad quasvis

A 2

alias

alias res potius evagentur, & cogitationes suas conferant magis in extranea & aliena, quam in semet ipsos, vel oculis operis bona sua computent, & res saluberrimas negligenter curent. Quam late pateat usus cognitionis sui ipsius, ab aliis fuit demonstratum, sed quam parum studis ac opera in ea adipiscenda consumatur, satis patet. A Medicis quidem Homo pro objecto suae scientia habetur, ast nescio, quo fato quidam in cortice quasi subsistant, & corpus, quod sine anima cadaver est, & in nihil redigitur, ab anima tamen separent, & se ipsos hujus cognitionis fructu uberrimo privent. Certè totum hominem, nimirum anima rationali cogitante, judicante, volente praeclatum, esse objectum Medicinae, agnoscunt illi, qui quantum animi pathemata, inæror, tristitia, sollicitudo, in morbis vel producendis vel exacerbandis valeant, sunt experti. Quantum conferat ad sanitatem vel conservandam, vel labefactatam restitueandam, discernere temperamenta, & affectuum indolem, tam ex Hippocratis monito, quam ab experientia constat. Omnibus igitur hominibus, imprimis autem Medico in id incumbendum esse existimavi, ut semet ipsos cognoscant. Quamobrem, cum à me aliquod eruditionis specimen publice requireretur, non dubitavi, aliquam illius cognitionis partem pertractandam, in me suscipere, & de generatione hominis disputationem conscribere, ita tamen, ut mei muneris & officii ratio simul habeatur, & non solum Physica ejus consideratio, sed & Medica instituatur. Deum autem I. O. M. supplices precamur, velit ipsam mentem nostram ac cogitationes ita dirigere, ut quae vera sint & ad hanc rem faciant, perspicere & digne de clarare possimus.

CAP. I.

CAP. I.  
DE  
HISTORIA GENERATIONIS.

## §. I.



On opus esse arbitramur, ut in limine nostræ tractationis omnes evolamus notiones, quas alias subire solet vocabulum generationis; aut ut quam latè pateat ejus significatio, pluribus ostendatur, cum non solum animalibus, sed etiam vegetabilibus & mineralibus competat; statutum enim habemus, saltem exponere, quæ sint prima hominis rudimenta, quodnam vitæ ejus exordium, & quæ noscendi ratio, quò sensu generationem in Schola Medica usurpari, res est notissima.

## §. II.

Cum autem omninò ad accuratam hujus rei cognitionem requiratur parrium in utròque sexu generationi inservientium notitia; longum autem esset & præter institutum, eas enarrare, idcirco eos, qui eam sibi comparare volunt, ad Anatomicos remittimus. Et cum tot & tam variæ de hac materia existant opiniones, & tam diversæ sententiæ, simplici saltem & rudi Minerva, ea, quæ à sedulis & solertibus rerum naturalium indagatoribus observata sunt, sumus enarraturi.

## §. III.

Sicuti enim in rebus naturalibus cognoscendis, & explicandis semper naturæ vestigia sequi decet, &

A 3

omnia,

omnia, quæ fiunt, solerti arte & animo observare, priusquam velimus certam de iis stabilire sententiam; ita in hac doctrina de ortu ac generatione hominis, quæ adhuc per obscura & ferè inexplicabilis est, historiam præmittere, & præcipuè ejus momenta colligere constitui, ut iis deinde eo felicius nostras rationes & opiniones possimus accommodare.

## §. IV.

Ante omnia verò maris & fœminæ requiri congressum nemo dubitat, præter illos, qui fabulis illis de equabus ab aura sola concipientibus, & de fœminis sola imaginatione imprægnatis fidem habere volunt. In quo tamen congressu ad res plures magni momenti animum attendere debemus. Antecedit enim non solum cupiditas & appetentia vehemens & acris, quam sive à copia sive à titillatione seminis, & repletionem vasorum seminalium frustra deducunt, cum ipse potius ille instinctus veneris, & cogitationes libidinosæ partes genitales secundum nonnullos titillent, & seminis affluxum augeant.

## §. V.

Sed concurrunt imprimis suavis animi corporisque commotio, in utroque conjugè, quâ non solum in mutuos ruunt amplexus; sed animorum conjunctio quasi, & mixtura contingit. Partes etiam totius corporis, adeò rigescunt & spasmo quasi afficiuntur, ut natura totis viribus in hunc actum intenta videatur, id quod etiam succedens debilitatio & virium jactura satis confirmat.

## §. VI.



§. VI.

Cum verò mutuò amplexu junguntur mas & fœmina, semen virile in uterum emittitur, & cum liquore illo, quem fœmina sub congressu emittit, & à Veteribus semen muliebre vocatus fuit, commiscetur. Hinc persuasum erat Philosophis antiquioribus, quod ex Mixtura duorum horum feminum corpus novam embryonis generetur, sed secundum nonnullorum mentem falsò. Nam à recentioribus Philosophis & Medicis, imprimis autem ab *Harvæo* & sequentibus sedulis Naturæ scrutatoribus observatum fuit, quod primis post coitum fœcundum diebus, nihil seminis in utero animalium viviparorum dissectorum inveniretur, quin planè iterum ejiciatur.

§. VII.

Observarunt autem simul, quod omnia animalia generentur ex ovo. Nam in omnibus animalibus, quæ alias vivipara ad differentiam oviparorum nominantur, deprehenduntur juxta uterum, sive in *πολυτόκῳ* juxta cornua uterî corpora quædam globosa, quæ vesiculis pluribus limpidò humore plenis, & cum ovis pennatorum animalium, aut potius cum lenticula illa, quæ in ovis alias præstò est, magnam similitudinem habentibus, referta sunt, & inde etiam ovaria appellantur. In his statim post coitum animadvertitur quædam alteratio, ut vesicula una, & interdum etiam plures vinculis solutis ex ovario secedant, cujus discessus documentum præbet non solum conspicuus in ovario scrobiculus, in quo ovu-  
lum

lum haferat, sed etiam foramen, five papilla hians in membrana ovarium, quod testes etiam muliebres dicitur, cingente, relicta, cujus vix vestigium extra conceptionis tempus deprehenditur.

## §. IIX.

Excipitur hoc ovulum foecundatum & sede sua solutum à Tubis *Fallopianis*, & mediante motu illo & tensione fibrarum, quæ non solum maxima est in ipso congressu, sed etiam post conceptionem à foeminis circa uterum sentitur, id quod iterum non solum sectione animalium recens imprægnatorum demonstrant, sed etiam foetus humani intra easdem aliquoties deprehensi sunt. Transmittitur autem per has ovulum ad uterum, & quidem si *Harveii* observationi credendum, aliquot demum post dies. Compertum etiam est de utero, quod statim à conceptione tam etiam substantia, quam vasa sangvifera augeantur, & intumescere incipiant, adeò ut multis sit persuasum, semen virile penetrare in uteri compagem porosam ac spongiosam, eamque distendere. Id quod & si de subtiliori ejus parte non negandum putamus, uteri tamen augmentum potius humoribus in majori copia affluentibus adscribendum videtur, cum idem satis superque probent tam arteriæ, quam venæ sangvine vehementer distentæ.

## §. IX.

Huic igitur ovulo, in quo omnia jam stamina & totus quasi apparatus futuri foetus continentur, uterus uti dixi, humoribus turgidus, non solum gratum præbet hospitium usque ad perfectam formationem & ma-

& maturitatem , sed & ad copiosum satis alimentum ac nutrimentum ; unde satis concludunt Recentiores Philosophi , Patrem nihil materiale ad procreationem sobolis contribuere. Et res multo clarius patet in genere gallinaceo , ubi non solum galli penis adeo exiguus est , ut non tam ad immisionem , quam ad extimam saltem affriktionem sufficiat , sed etiam semen a deo paucum , ut in tam longò & tortuoso ovi ductu , & tam vastò ad proportionem utero gallinæ , sine sui dissipatione & diffluxu permanere non possit , aut ad ovarium pervenire . nihilominus unus talis congressus plura ova fœcundat . Quid quod vitellus , ejusque cicatricula tunicâ firmiore obducitur , & idem ex observatione *Malpighii* corporeum lineamentum seu rudimentum in ovis gallinaceis invenitur absque omni galli commercio conceptis & exclusis , quam in fœcundatis à galli coitu.

## §. X.

Duplici autem manifesta membrana circumdatum est ovulum , una scilicet exteriori , quæ chorion , & interiore altera , quæ amnion dicitur , quæ etiam embryonem , usque dum excluditur , investiunt . Intus autem continetur , antequam fœtus lineamenta conspiciantur , humor aliquis pellucidus , instar albuminis ovi , & in eo humore nubecula quædam opaca conspicitur , quæ paulo post in confusa quædam fœtus lineamenta desinit.

## §. XI.

Per has membranas transeunt , & cum iisdem etiam in transitu connectuntur exigua quædam filamenta,

B

menta,

menta, per quæ absque dubio antea oculum cum Ovario cohæsit, & nutrimentum accepit, & quæ deinde in embryone funiculum illum umbilicalem dictum constituunt. Primo imprægnationis mense & sexta à conceptione hebdomade conceptus ille adeo exilis conspicitur, ut vix mensuram formicæ majoris exæquet, nihilominus modo etiam ovulo conspiciere & distinguere in eo licet, artus, truncum & caput. Mense autem secundo & tertio usque ad duos pollices mechanicos excrevit, & membra, digiti, nares, labia & sexus in eo magis fiunt conspicua, quod nuper mihi in abortu, cum magna hæmorrhagia uteri ab honesta scæmina ejecto, videre contigit.

## §. XII.

Minimè autem omnes partes corporis simul existunt in embryone, sed natura ordinis semper observantissima, in formatione fœtus ordine etiam progreditur. Antiquitus quidem putabant, quod cor prius generetur, five punctum illud saliens, quod magis magisque increfcens, cor tandem constituit. Ast propioribus temporibus observatum fuit, quod caput cum cerebro & spinali medulla se primum conspiciendum præbeat: Id quod imprimis *Malpighius* de ovis gallinaceis etiam affirmat, qui instructus armato oculo, pulchrè etiam dispexit, statim cum cerebri & capitis rudimentis, duo punctula, seu bullulas, unde duo oculi sequente tempore suam trahunt originem. Caput autem primis mensibus respectu ad totum corpusculum, ingentis est magnitudinis. His adjiciuntur pectoris abdominis & extremorum  
linea-

lineamenta, sed viscera eorum vix dignoscuntur; Exile autem illud corpus, humori in ovo contento libere innatat, & primis diebus adhuc valde est molle, sensimque indurari incipit.

## §. XIII.

Quamprimum igitur structura sufficientem fati firmitatem nacta est, sentitur motus cordis, & incipit fœtus vitâ frui propriâ, & majorem indies molem acquirere. Hinc etiam opus habet nutrimento, quod provida solersque natura matris ei & copiose fati subministrat. Nam simili ferè ratione uti semina plantarum terræ commissa & calore ejus humido fœcundata, gemmulas furculos & radículas quasdam emittunt, quibus succum nutritivum ex terra attrahunt; Ita & fibrillæ illæ sive filamenta, quæ membranas fœtum involventes transeunt, de quibus antea dictum, utero humoribus suffarcto sese applicant, & corpus aliquod glandulosum efformant, quod à munere hepatis à Veteribus assignato & etiam textura, hepar uterinum, à figura vero placenta uterina vocatur.

## §. XIV.

Hæc utero matris firmiter adnectitur, & ejus interventu fit embryonis cum matre communicatio. Natura autem ita formavit sexum fœmineum, ut post tempus pubertatis semper generet superfluos humores, quos etiam extra tempus prægnationis, aut lactationis, per menstruas évacuationes ejicere necesse habet. Hujus igitur glandulosi corporis usus communis est cum aliis glandulis, nempe lymphaticum

ticum humorem ex sanguine materno separare, qui deinde per venam umbilicalem defertur ad fœtum. Funiculus enim umbilicalis constat duabus arteriis, una vena sed satis capaci & Uracho, quibus in quibusdam animantibus vas aliquod lymphaticum adjectum esse monstravit *Excell. Stahlus*. Arteriæ ab iliæ ortæ utrinque ad latera vesicæ progressæ urachum comitantur usque ad funiculi finem. Inde verò à se invicem diductæ & in placentam uterinam copiose disseminatæ, sparsis prius in tunicas amnion & chorion, ramusculis, adferunt sanguinem ex embryone, ut ille hic cum humore lymphatico & alimentoso, è sanguine materno separatò, misceatur & subigatur, & tandem humore illo alibili onustus, per venam ad fœtum revehatur. Et videtur in hac re placenta vices supplere pulmonum in adultis, in quibus etiam noviter affusa lymphæ cum sanguine fortissima concussione & transpressione per substantiam pulmonum membranaceam & vesicularem, intimè miscetur, & subagitur. Vena autem illa umbilicalis, quæ sua capacitate duas illas arterias non modo exæquat, sed superat, hepar ingressæ contentum suum sanguinem tandem in venam cavam infundit, qui ad cor denique propulsus per arterias rursus in totum corpus distribuitur.

## §. XV.

Notabilis autem diversitas hic observanda circulationis sanguinis in embryone. Cum enim in illis, qui aëre fruuntur, sanguis è vena cava in dextrum cordis ventriculum delatus, & in pulmones propulsus,

fus, ope respirationis illos transeat, & in sinistrum cordis ventriculum ingressus, inde propellatur, respiratio autem in embryone non detur, hinc etiam sanguis per pulmones permeare non possit, benigna natura duas præparavit vias, quæ in homine nato iterum ocluduntur. Una nimirum est foramen illud ovale, quod situm est ad exitum auriculæ dextræ, & sanguini transitum immediatum in ventriculum cordis sinistrum præbet. Altera est canalis arteriosus, qui paulo ultra valvulas sigmoideas in arteria pulmonali incipit, & transversa linea ad aortam pergit, ut adeo pulmones planè intacti relinquantur.

## §. XVI.

Hic est modus & ratio, hæ sunt viæ & talis est materia, quibus Natura humana utitur ad habitaculum, sive instrumentum ad functiones suas aptum & accommodatum fabricandum. Reliquum autem negotium formationis usque ad perfectam maturitatem eadem ratione succedit, ac nutritio in hominibus perfectis & adultis. Innatât autem fœtus usque dum in lucem edatur, in liquore quodam gelatinoso in amnio contentô, unde plurimi nostris temporibus sibi imaginantur, ac si hic liquor cederet in ejus alimentum, & per os admitteretur, atque ab embryone superetur. Verum huic opinioni assentiri non possumus, donec probetur, quod suppeditatum nutrimentum per umbilicum sufficere non possit.

## §. XVII.

Multo minus ea opinio admittenda videtur, quod infans in utero respiret, cum ille dicto humori,

toto ad minimum capite, immerfus, & tam utero, quam propriis tegumentis adeo inclusus fit, ut aër ad eum penetrare non possit. Considerare autem maxime & animadvertere decet, quod Natura in suis actionibus, uti ordinem, ita & tempus quam diligentissime observet. Tota autem perfectæ formationis periodus complectitur novem menses & dimidium, sive XL. septimanas. Absolvitur quidem formatio in embryone humano septem mensibus adeo, ut nulla pars deficiat vel numero, vel sufficiente structurâ; sed est adhuc tantæ teneritatis ac mollitiei, ut citra periculum inter res externas versari non possit; sequentibus autem duobus mensibus ei suprema quasi imponitur manus & consumatur ejus textura, ut facilius aëris & rerum ambientium alterationes possit perferre.

§. XIIIX.

Incipit autem jam medio gestationis tempore sensibilis motus in utero matris, & quidem adeo exquisitè circa medium illud temporis, ut fœminæ facta à primi motus perceptione, computationis initio, tempus futuri partus inde hariolentur. Instante igitur partu incipiunt sentire gravidæ dolores quosdam spasticos, ex umbilico, lumbis inguinibus ad muliebria contendentes, quibus fœtus, concurrente simul matre per spiritus compressionem, & musculorum abdominis contractionem, eliditur. Et cum situ justo ac legitimo, capite deorsum versus exitum spectet, prodit ante omnia caput, pars omnium maxima, ruptis prius involucris, & effusis li-

quori-



quoribus in illis contentis, qui in transitu illam utilitatem adhuc afferre videntur, ut partes, quæ valde debent extendi, irrigent atque humectent. Infans autem in lucem editus cohæret per funiculum umbilicalem cum secundinis, nimirum cum placenta & ei annexis membranis, quæ similiter, cum utero sarcina sua liberatus, magis magisque arctius iterum contrahitur, à pristina sua sede avelluntur, & cum subsequente hæmorrhagiâ ejiciuntur. Dissecto denique funiculô umbilicali, infans sui juris esse, & vitâ omnium ærumnarum plenissimâ cum ejulatu frui incipit.

## CAP. II.

DE

## CAUSA GENERATIONIS.

§. I.

**E**Narrata itaque simplicissimè generationis historia, causæ quoque ejus perpendendæ & examinandæ, ac quæstiones quædam circa hanc rem controversæ veniunt expediendæ. Res enim est adhuc perobscura, & dissensionis plena, tam quænam sit causa materialis, & quæ efficiens corporis embryonis, quam quæ origo animæ. Quæritur autem primo, an uterque pater & mater, an unus saltem, & quinam ex illis corpus procreat. Namque sepositâ Veterum sententiâ, quod ex commixtione seminis masculi & sceminini proles nascatur, absonum multis visum fuit, quod sola mater corpus conferat, pater autem nihil materiale. Hinc

NON-

nonnulli concedunt quidem, quod conceptus fiat ex ovulo; subtilissimas tamen seminis virilis portuncululas illud ingredi, ac fœcundare & prima corporis rudimenta ac stamina afferre statuunt. Nonnulli autem præprimis *Levenbockius* & *Dalempacius* ope microscopiorum in semine masculino animadvertere sibi visi sunt innumera quædam corpuscula sive vermiculos in illo reptantes; quare commoti sunt, ut sententiam de ovis humanis repudiarent, & sibi persuaderent; in conceptione tale quoddam corpusculum vivificari, & ideo genituræ virili causam materiale generationis esse adscribendam.

## §. II.

Non una autem causa inducimur, ut his opinionibus assentiri non possimus, sed potius ab illorum parte stemus, qui statuunt omnia fieri ex ovo, scilicet solam matrem generationis materiam præbere, patrem autem efficienter saltem concurrere, & principium activum impertiri. Sed vix opus erit, ut contra posteriorem sententiam ovum esse generationis exordium post tot factas observationes superius allegatas demonstremus, cum ipsa illa innumera corpusculorum in semine latentium multitudo, ex quibus tamen unicum saltem ad vitam perveniret, omnem jam fidem superat.

## §. III.

Argumenta autem, quæ nostram opinionem confirmant, priorem autem illam dubiam reddunt, præter priore capite jam tractata sunt hæc, quod 1) viæ nullæ adsint, quæ semen ad testes muliebres deferant,

ferant, 2) ovula firmissimis clausa sint membranis. 3) ab omni conceptu abludat, quod pars feminis exhalabilis, sive aura seminalis, per subtilissimos poros ad hunc potius locum, & ad hoc ovulum unicum, & non per totum abdomen penetret, & ex eodem illo non rursus exhalet, antequam coaguletur & in stamina solida concreascit, 4) frustra sit, ut ex semine aliquid materiale ovo accedat, cum sufficiens jam ante congressum apparatus ad conceptionem in eo lateat, & in ovis gallinaceis absque galli coitu exclusis ex observatione *Malpighii* eadem stamina adsint, quam in ovis ejus coitu fecundatis.

## §. IV.

Quas rationes in præsentiarum sufficere arbitror, ad probandum, quod sola mater materiam conceptui suppeditet. Verum de principio activo res est adhuc difficilior. Nondum enim satis constat, quodnam illud sit, an spiritui vitali, an alicui genitali, an Archæo, an animæ hoc munus sit deferendum, & à quonam sexu, an à mare, an à fœmina, an ab utroque communicetur. Quodcunque autem sit, illud à patre proficisci statuendum est. Nam (1.) absque congressu cum viro fœmina, licet jam secum vehat fœtus, non concipit. (2.) Mox à congressu rudimenta illa adhuc in ovo latentia actuantur & veniunt in conspectum. (3.) Inde haud leve argumentum deduci posse arbitror, quod in sacro codice viro immediate dicatur inspiratus spiritus vitæ, sive vivificus: Unde fœminam à viro  
C
dein.

deinde defunctam, de ejusdem anima participare credendum fit.

## §. V.

Quale autem illud fit, nunc inquirendum, an materiale, an immateriale. Materiale autem ut nonnulli volunt, esse non potest ex ante dictis, ergo immateriale erit, & absque dubio anima, & quidem humana & rationalis. Hæc sententia uti antiquissima, ita videtur & verissima, assensum ferre ab omnibus, & ab iis etiam, qui aliis agentibus formationis negotium tribuunt, nacta est, præterquam ab iis, qui animæ rationali ex hac sententia suæ immaterialitatis & per consequens immortalitatis periculum aut plane jacturam imminere arbitrati sunt.

## §. VI.

Ast hic non est quod metuant, modo nolint corporeos conceptus rebus & substantiis spiritualibus applicare. Non enim sequitur, anima infantis propagatur à patre, ergo anima patris ita est divisibilis aut ei aliquid decedit, & habet partes extra partes. Longe enim aptior hujus rei suppetit conceptus, qui quanquam non omnem rem exhauriat, hæc tamen melius quadrare videtur. Quantum enim nobis constat à posteriori de animæ essentia, dicere possumus, quod illa existat. Nobilissimæ ejus actiones, cogitatio & ratiocinatio sunt motus, voluntas ipsa & propensiones sunt motiones. Animadvertimus autem quod motus unus alium motum producat sine sui decremento, v. g. in lumi-

lumine, in igne, ubi una lucerna alteram accendit sine aliqua jactura aut divisione materiali. Illud autem quod pater ad generationem communicat, motum esse, liquere satis puto, & consentientem habeo celeberrimum *Bohrium de generat.* Concurrit autem non solum in congressu ipso contentio vehementior, & totius generis nervosi nifus extraordinarius; sed etiam quam primum conceptio facta est, motus hic sensibiliter agit in ovulum, cujus medio tota deinde machina struitur, nutritur, crescit ac conservatur.

## §. VII.

Scio equidem, hoc facilius concedi, quod nimirum anima à patre in infantem derivetur, sed an illa ipsa sit præses & autor formationis, & actiones vitales perpetret, est, de quo communiter valde dubitatur. Sequimur autem in hac re mentem *Celeberrimi Stahlii*, qui hujus dissertationis veritatem in variis scriptis satis demonstravit. Nobis autem ad confirmandam hanc sententiam pro instituti nostri ratione sequentia argumenta sufficere videntur. 1) Entia præter necessitatem non sunt multiplicanda. Cum igitur constet, animam esse ens activum, eamque corpus humanum inhabitare, quid opus est, alia fingere entia & excogitare. 2) Potest etiam movere corpus, id quod à posteriori ex animi pathematibus, & illa exacte sequentibus commotionibus corporis satis patet. 3) Anima opus habet corpore, ut instrumentô, quò actiones suas circa res externas exerceat, nec ulli alteri rei

corpus usui est, quam animæ. 4) Omnes actiones in corpore, tam quæ ad structuram, quam quæ ad mixtionem ejusque conservationem pertinent, fiunt secundum ideam in mente conceptam, & est actionum vitalium & mortalium summa convenientia v. gr. Cholericus, qui animi sunt agilioris, vehementioris, sanguinem etiam habent sulphureum, agiliorem, pulsum fortiorem, & texturam etiam partium rigidiorum huic motui celeriori aptam; contra Phlegmatici, qui segnes sunt ac torpidi, habent sanguinem aquosum, mucosum, pulsum debilem & texturam etiam laxam ac mollem. 5) Ex artificiosissima partium & totius corporis configuratione & proportione colligi potest, ens rationale ad hos actus necessario requiri, quoniam artificiosè configurare & proportionatè struere, non est actus physicus & rudis collapsus materiarum, sed altius quid præsupponitur. Ex quibus consideratis ac perpensis satis innotescere posse existimo, quod anima actionum vitalium principium sit atque causa.

## S. HX.

Luculentum insuper præbet hujus opinionis documentum res ab experientia notissima & satis crebra, quæ non solum illam animæ potentiam, sed actum ipsum & ejus exercitium ob oculos ponit, nimirum ipsius formationis foetus, deturpatio per nævos maternos, quin reformatio partium jam structarum per imaginationem alicujus rei in mente firmiter conceptam. Secundum hanc imaginem in animo Matris depictam examusim aptatur structura corporis embry-

bryonis, ut unum idemque agens esse quod cogitat, quod æstimat, & quod corpus struit, palam fiat. Memorabiles ejusmodi casus varii numerantur ab Observatoribus; unus autem mihi jam succurrit notatu dignissimus, qui in patria mea accidit. Ancilla enim clam gravida facta, & foco adstans, dum altera ancilla carpionem coquit, ingenti cupiditate corripitur capite carpionis vescendi, quod etiam, altera non advertente, furripiens, in angulum se confert, & incipit illud carpere, & cum magna voluptate ingerere. Altera autem illa piscem mensæ præparans, desiderat dimidium caput & statim suspicata, quod acciderat, quærit illam, & invenit cupediis suis avide & cum maxima animi attentione ac delectatione vescentem. Sed hæc quam maximè perterrita, animum suum explere non potest, quo factum, ut infantem postea pareret, cujus dimidia pars capitis, dimidium caput carpionis referebat.

## §. IX.

Utplurimum quidem ad explicationem harum rerum spiritus in subsidium vocantur. Verum probe notandum, quod non quælibet simplex imaginatio hunc affectum producat, sed illæ, quæ cum æstimatoria rei inopinato oblatæ judicatione, & acerrimo vel desiderio vel horrore est conjuncta. Quomodo autem hæc idea Matris embryoni communicetur, quæstio est haud adeo difficilis. Hujus enim ideæ immaterialis sola anima rationalis embryonis est capax, quæ illam recipit & formationem secundum ejus normam perficit. Longius autem, quam locus &

C 3

tem-

tempus permittit, sese diffunderet hæc tractatio, si modum & rationem, quâ anima formationem sui habitaculi præstat, accuratius velimus excutere; Quædam tamen, quæ huc pertinent, delibabimus. Nimirum ad structuram corporis perficiendam, requiritur non solum selectus materiæ, cuilibet parti convenientis, ut ossi propria sua materia, ligamento, sua, tendini, membranæ & fibris carneis &c. adhibeatur, sed etiam potius peculiaris, ut quælibet pars suam figuram, proportionem ac magnitudinem nanciscatur. Dubito autem, an omnes ejusmodi diversæ particulæ, in eadem specie & ita jam mixtæ, ante adsint in molecula illa, ex qua prima conceptionis stamina formantur; sed potius existimo; quod eadem à principio formante & struente misceantur ac præparentur. Et totum hoc negotium eodem modo succedit, uti nutritio in homine perfecto. In illa enim assimilatio quoque ubivis perpetuo comitatur appositionem, quin ipsa illa appositione fit assimilatio particularum.

## §. X.

Ordinat autem, disponit, & coaptat quam prudentissime agens illud internum materias, ut per totum corpus non solum situs & ordo legitimus & numerus, sed etiam justa proportio tam universalis, totius corporis per omnes sui partes, tum singularis, omnium partium ad singulas reliquas, quin mutua illa proportio dextri & sinistri inde resultet; ubi à ratione alienum videtur, statuere, quod hoc fit vel necessitate materiæ, vel pororum & figuræ convenientia,



nientia, appetitu quodam naturali, quo simile simili gaudeat, cum sit certissimum, quod ejusdem corporis omnia ossa ex eadem materia consistunt, & quod unius cujusque officuli una eademque per totum ejus ambitum sit materia; nullus tamen poterit concipere, cur quaedam particulae hujus materiae illud situm occupent, qui caput ossis constituit, quaedam illud, qui fistulam ampliorem, quaedam aliam, quaedam arctiorem ossis partem aut plane intortam formant. Sed nolimus nos hisce speculationibus altius immiscere & cum, quod ordinem, quem in formandis partibus corporis anima servat, attinet, jam in priore capite quaedam attigerimus, progredimur ad Considerationem generationis vere Medicam sive Practicam.

**CAP. III.**  
DE  
**CONSIDERATIONE MEDICA.**

§. I.

**Q**uanquam haec contemplatio generationis mere fuerit Physica & parum utilitatis in Praxin Medicam directe inde redundet; siquidem medentis parum aut nihil refert, an sciat, quodnam sit principium materiale, quodnam formale, an anima à patre, an à matre propagetur, aut aliunde adveniat, &c. Negandum tamen non est, quod Medicum quam maximè deceat, rectum habere sensum de iis rebus, circa quas versatur, & quod

quod inde facilius possit perspicere, quæ rebus labefactatis conducant. Consistit autem Medicina, quæ in usu & exercitatione posita est, in observatione rerum homini aut nocentium, aut opem ferentium, & in scientifica illas vel removendi, vel applicandi. In hunc finem igitur considerabimus breviter, quæ generationem impediunt, & labefactant, & quæ illam adjuvant. Impedit autem illam sterilitas, labefactat abortus, quibus, quomodo mederi liceat, paucis notabimus.

## §. II.

Sterilitas & infœcunditas dicitur de sexu muliebri, sicut de virili impotentia. Est autem vel positiva, vel negativa. Illa est, ubi ipsa potentia ab *ἐπιγενεῖ* principii activi deficit. Hæc autem originem habet à morbis, & præcipuè iis, qui partes genitales maximè afficiunt, uti fluor albus sæpè fœminas ineptas reddit ad conceptionem, sed non semper hoc facit; vel à mensium plenaria emanatione. Vix enim fœmina concipit, quæ menses nunquam experita est. Non rarò ex aliquoties toleratò abortu fœminæ sterilescunt, ubi non modo ovula conceptui destinata præmaturè excutiuntur, sed ipsa etiam natura sæpius infelicitè & sine affectu laborem impendens, hoc negotium postea negligit. Quin ipsa dyscrasia habitus inter conjuges, quoad temperamentum & indolem animi, sæpè conceptionem impedit.

## §. III.

In positiva sterilitate parum aut nihil subsidii Ars Medica præstat. Laudantur quidem communiter quædam

quædam specifica, v. gr. uterus leporis, tanquam animalis *πρωτόζωου* ad fecunditatem conciliandam; sed Ex-  
 perientia contrariatur. Uterum enim Gallinæ ma-  
 joris efficaciam esse existimo, quippe quæ quotidie pa-  
 rit. *Simon Pauli in quadripart. Bot.* recenset pulve-  
 rem Veronicæ in aqua ejusdem propinatum condu-  
 xisse ad sterilitatem tollendam in scemina nobili habi-  
 liori, quæ deinde pluribus hoc dedit consilium, ut  
 decem vel duodecim sceminæ eodem cum successu  
 usæ fuerint. In genere autem suadenda sunt analep-  
 tica, & cibi optime nutrientes. Si verò fluor albus  
 causa sit sterilitatis, ante omnia perpendendum est, an  
 ille sit simplex, an à contagio venereo ortum traxerit.  
 Nam in hoc casu remedia in simplici fluxu saluberrima  
 nihil efficiant. Contra verò omnia venerea præ-  
 ter drastica, benigno fluxui ex usu sunt; quare  
 Medicus non impingit, si in intentione tale contagi-  
 um semper respiciat, & in quolibet fluxu suspectum  
 habeat. In cura ipsa conveniunt in initio lenes laxa-  
 tiones per infusa, aut ꝑ. dulc. In infusis adhibendæ  
 sunt radices seri qualitatem & motum inordinatum  
 corrigentes, uti sunt Rad. Helen. pimp. alb. Vince-  
 tox. Imperat. Ari: ex herbis conveniunt præter Me-  
 lissam, abrotanum. His subjungenda est Tinctura ꝑ ii  
 ꝑsata cum Ess. succin. Pill. *Becherian.* genuinæ omni-  
 bus fere aliis remediis palmam præripiunt, præfer-  
 tim, si ꝑius d. admisceatur. Si menses deficient, illi  
 sunt movendi. Verum ita procedendum, ut præpa-  
 rationibus materiæ initium curationis fiat, & deinde  
 adstimulantia, emmenagoga progressus fiat. Ubi

D

rursus

rursus Pill. ante dictæ id præstant, quod aliis remediis vix speratur.

§. IV.

Abortus exoritur vel à plethora, vel à gravibus animi commotionibus, ira, terrore, vel à animiis corporis agitationibus, sanguinem valdè calefacientibus, aut etiam aliis fortuitis casibus. Plethoræ efficacia ad abortum inducendum non rarò ita se exserit, ut novæ maritatæ de cætero benè sanæ, quando primâ vice conceperunt, & mensibus ita cohibitis, sanguine abundant, secundo vel tertio mense fluxum impetuosum & vehementem incurrant, adeoque cohæsió placentæ uterinæ rursus excutitur, qui affectus facillè deinde recurrit, si iterum imprægnentur. Ubi remedium præservativum optimum est V. Sio, vel ante prægnationem & primo statim conceptionis mense in brachio ad ʒij vel IV. instituta. Evacuata autem ita quantitate, fœtus cum involucris firmissimè cohæret utero, & non ita facile cum sanguine copiosè affluente excutitur. Sicuti etiam medio gestationis tempore, & non ita multò ante partum, iis quæ sensibilibus plethoricæ sunt, commodissime secatur, unde non modo reliquum gestationis tempus tranquillius peragunt, sed & facilius pariunt, cum alias plethora in partu majorem laborem, æstum, imò copiosorem hæmorrhagiam post partum inferre soleat. Exsanguibus verò fœminis noxium est, subtrahere sanguinem, & sic debilitare Naturam. Balsamus autem embryonis, qui alias hic commendatur, in plethoricis non locum svaderè videtur, ut  
& reli-

& reliquæ Aquæ aromaticæ Spirituosæ, cum quibus quoad effectum convenit; sed potius in subjectis Phlegmaticis usum, cautum tamen invenit. Animi affectus, & reliquæ abortum producentes circumstantiæ non sunt in potestate Medici, effectuum tamen inde sequentium datur aliqualis præoccupatio & medela. Temperant acrimoniam bilis ab ira vehementiori prognatam, & motus naturæ concitatos compescunt & consopiant pulveres absorbentes Osi. Post terrorem autem conducunt species de gemmis, species & confectio de hyacinth. ut & hyacinthus præparatus.

§. V.

Plura quidem addenda essent tam de affectibus, quam de regimine gravidarum; Verum omnia persequi & temporis & instituti ratio non permittit. Quare Benevolam Lectorem rogatum volumus, ut nos habere velit excusatos, quod in hac materia, quæ tam latè pateat, tam multa adhuc desiderentur.

F I N I S.



\* \* \*

**V**era canit Lyricus Vates: generare colum-  
bam  
 Imbellem nescit præpes Jovis armiger ales:  
 Est in equis Patrum Virtus, simul inque juvencis:  
 Hoc, HARTMANNE, probas, clari Patris  
 emula proles,  
 Cujus in Arte catus Medicâ vestigia calcas:  
 Macte pari virtute! manent Te digna brabæa,  
 Quæ meruere tui, DOMINÒ adspirante, labores,  
 Quos exantlasti studiò vigilante tot annos:  
 Percipe nunc fructus: medicare salutifer agris:  
 Vive diu sospes: Spartam quam nactus es, orna:  
 Hoc si præstiteris, felici er omnia cedent:  
 Quod PETRA DURA VIRO DURO vovet omine  
 faustò.

αυτοξεδ.

D. GEORG. CHRISTOPH. PETRI AB Zartenfels/

Sacri Pal. Cæs. Comes, Confil. & Archiar. Elector. Mogunt.  
 Consul-Primarius & Physicus Erfurtensis, Universitatis  
 & Fac. Medicæ Senior & p. t. DECANUS, P. P.  
 & P. L. C.

✠ (o) ✠

OO A 6318

ULB Halle 3  
002 933 500



SB


VD  
18

Reho ✓ V D 17









Farbkarte #13

B.I.G.

D. B. V.  
 URALIS PHYSICO-MEDICA,  
 DE  
**ATIONE,**  
 QVAM  
 GNIFICENTISSIMO,  
 T ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
 M I N O  
**WILHELMO,**  
**E DE BOINEBURG,**  
 E CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO  
 METROPOLITANARUM ECCLESiarUM: MO-  
 NICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE  
 MINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-  
 MO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE  
 SIS PRO-PRINCIPE,  
 TATIS MEDICÆ CONSENSU  
**PRÆSIDIO**  
**HILIPPI EYSELII,**  
 ET MED. DOCT.  
 AN. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMI  
 ORDINAR. ET SUB-SENIORIS GRAVISSIMI,  
 ALIS NATURÆ CURIOSORUM  
 EGÆ, P. L. C.  
 SIS AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI HONORIS  
 NUM PROSEQVENDI,  
**LICENTIA**  
 CA HONORES ET PRIVILEGIA  
 ONSEQVENDI,  
 RUM EXAMINI SUBMITTIT  
**US Hartmann / VINARIENSIS,**  
 T. ERFFURT.  
 BRUARIi M DCC XVI.  
 JORI COLLEGII MAJORIS  
 CONSVETIS.  
 ENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

